


**05  
A  
2132**



Adjuvante Deo  
DISPUTATIONEM POLITICAM  
*De*  
POTESTATE PRINCIPIS  
COGENDI LEGATUM  
EUNDI AD HOSTES QVOSVIS

In Alma Leucorea

PRÆSIDE

VIRO

*Præcellentissimo atq; Præclarissimo*

DN. M. JACOBO RÖSERO,

Collegii Philosoph. Adjuncto, & ad Illustrium Sta-  
tuum Evangelic. in Hungaria Gymnasium Eperiense  
vocato Profess. Publ.

*Domino ac Fautore suo maximè colendo*

*publico Eruditorum Examini sifit*

JOHANNES HÜLSEMANNUS

Lipsiensis.

Ad. d. 19. Decemb. horis antemerid.

in Auditor. Maj.

WITTEBERGÆ,

In Officina Finceliana excudebat MICHAEL MEYER.

Anno 1668.



VIRIS  
MAXIME REVERENDIS MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS,  
AMPLISSLIMIS, CONSULTISSIMIS, EXPERIENTISSI-  
MO, ATQUE EXCELLENTISSIMIS,

DN. ABRAHAMO CALOVIO,

Doctori Theol. incomparabili, Prof. Publ. Primario,  
Eccles. Witteberg. Pastori, Totiusq; Circuli Elect. Saxon.  
Superint. Generali, Consist: Eccles. Elect. Assessori

Præcellentissimo,

DN. JOHANNI MARTINOLUTHERO,

Hæredit. in Hohburg/JCto, Sereniss. ac Potentiss. Elect.  
Saxon. in Præsulatu Misnensi Consiliario Primario, Pl.  
Rev. Capit: Cizens. Decano, Eccles. Cathed: Misnens.  
ac Wurzens. Canonico eminen-  
tissimo.

DN. JOHANNI ERNESTO NORICO,

JCto celeberrimo, Reverendiss. ac Sereniss. Principis  
Saxon Martispurg. Consiliario Gravissimo.

DN. JACOBO CLAU DERO

SS. Thcol. Doctori Famigeratissimo, Eccles. Delitiensis Pastori,  
& Diœceseos iilius Superint. vigilantissimo.

DN. CHRISTIANO BILEFELD,

SS. Theol. Doctori, Ecclesi Wernigerodanæ Pastori, & iilius  
Comitatus Superint: meritissimo, nec non Consistor: Ec-  
cles. Stolberg. Assessori gravissimo.

DM. JOHANNI BOHN,

Philos. ac Medicinæ Doctori, ejusdemq; Lipsiæ Prof. Publ.  
& Practico Celeberrimo.

DN. Hospiti Parentis instar venerando, DNS. Patronis Promo-  
toribus, & Affinibus suis plurimum honorandis arg, colendis.

Primum hoc Exercitium Academicum  
devoto animi cultu

offert

JOHANNES HÜLSEMANNUS.



OS A

2132

Philos. ac Medicinæ Doctori, ejusdemq; Lipsiæ Prof. Publ.

& Practico Celeberrimo.

DN. Hospiti Parentis instar venerando, DNS. Patronis Promo-  
toribus, & Affinibus suis plurimum honorandis arg, colendis.

Primum hoc Exercitium Academicum  
devoto animi cultu

offert

JOHANNES HÜLSEMANNUS.

A. & Ω.

**N**ihil in universâ rerum naturâ ad Divini Numinis Majestatem tam proximè accedit, nihil Deo similius est, quam Princeps: singulare enim quoddam Dei est opus

*quo nihil majus meliusve terris  
Fata donavere boniq; Divi,  
nec dabunt quamvis redeant in orbem  
tempora priscum. (a.)*

a.] Horat. L.

4. Carm. od.

II.

b.] Defens.

Reg. c. 5.

Imago cœlestis Regis est, ut rectè Salmas. (b.) Effigiem Dei inter homines exhibens; eoq; DEI nomine non in sacris tantùm, sed & in profanis insigniri Principem omnibus notum est, ut enim non nisi unum, eumq; perfectissimum adoramus Deum, id quod pulchre more suo expressit Lyricus

*- Nil majus generatur ipso  
nec vigeat quicquam simile aut secundum (c.)*

Sic quoq; , quem veluti in mundo Deum, rerum omnium Arbitr<sup>c.] Hor. l. 1.</sup>

ac Moderator constituit, ut sit Administrator & Vicarius in re- <sup>Carm. od. 12.</sup>

genda multitudine, Deum ubiq; præsentissimo referens imperio,

Unus est, imperio divino simili res suas gubernans, id quod præ- <sup>d.] l. ii. p. m.</sup>

clarè Alexander innuit apud Justinum (d.) & Asin: Gall: apud <sup>130.</sup>

Tac. Annal. I. I. §. 12. p. m. 17. *Unum reipubl: corpus unius a-* <sup>e.] 12. Me-</sup>

*nimo regendum est. (e.) Arist: Arnis: (f.) Perfectissimus raph. Pol. c.*

*est Virtute, Auctoritate, Religione, Arist. (g.) micans 10. p. 263.*

*inter omnes velut inter ignes Luna minores. Summus quoq; in g.] 3. Pol. 13.*

*his terris est ut Vellej: Paterc: (h) eleganter, maximus imperio, & 17. s. Pol.*

*ait, solo Deo minor & ab eō secundus, divisum quasi cum eo te- <sup>c. 11.</sup>*

*nens imperium, ut iterum Vates ait (i.) Tu secundo Cæsare regnes: h.] l. 2.*

*Adeoq; πάτων κύριος, αὐτέυθυντος, οὐδὲ ἀνυπέρθυντος ut Arist: i.] L. 1.*

*(k.) ait nullis legibus obstrictus vel obnoxius: A quo n. inordi- <sup>Carm. ad. 12.</sup>*

*nem k.] 3. Pol. 14.*

*l. 2. 9. 2. 4. 10.*

A 2

ΙΩΑΝΝΟΥ ΗΓΕΙΡΑΜΑΝΙΟΥ



I.] L. 2. de  
Civit. ] c. 1.

m.] L. 6. An-  
nal. c. 8.

n.] 3. Pol. 6.  
o.] B. 2. c. 1.  
S. 3.

p.] de f. B. &  
P. l. 1. c. 3 n.  
7. p. 37.  
q.] L. 2. §. 9.  
p. 136.

hem redigeretur is, qui tantum cæteris antecellit quantum ipse à Deo immortali distat? Potentissimus est, cui amplissima potestas & Dominium concessum, tantum enim potest incivilibus dependenter Princeps & Dei concessu, quantum ipse Deus in dependenter valeat efficere. Horn. (l) licet enim homo sit mortal is, accepit tamen potestatē divinæ parem. Hanc illimitatam potestatem Marc. Terent Eques Rom: apud Tacit: (m.) à Deo accepisse Principem agnoscit: Tibi [ad Tiberium oratione conversa] summum rerum judicium Dii dedere, nobis obsequii gloria relicta est. Et hinc Politicos potestatem Principis descripturos, haud parum desudantes, adæquantes tamen amplitudinem & splendorem destituere voces videmus. Jam audit ἀνέρα ἐξστία, νυπία ἀπόχη, Philosophorum apici κύριον (n.) appellatur summa potestas, quæ cuncta suo imperio subjicit atq; regit: Eleganter Clariss: Horn: (o.) subjacent, inquit, omnia & singula civitatis ejus arbitrio; pro curat divina, ordinat humana, disponit sacra, moderatur profanis, privata ac publica suo jure complectitur. Ita diffundit se per omnia ea potestas & vallet ubiq;. Neq; alterius agnoscit tribunal, quod ejus aëtus irritos reddere queat.. vid: Grot. (p.) Nec verò decebat, nisi humana

major facultas, hanc ab ipso adeò Divino Numine productam dignitatem. Huic jus creationis in res ad unum omnes creatas absolutum prorsus imperium asserebat; Horn: (q.) Non ergo vilior poterat esse autoritas ejus, quem suas in terris gerere vices mandarat omnipotens: Quæcunq; tamen inde tanquam ex riyulo promanant majestatis jura potestate in caput inq; bona plenariè absolvuntur; Ex illâ & Legatorum mittendorum propullulavit jus, quod nemini nisi qui τὸ κύριον in Republ: tenet, competere vix quisquam saniorum Politicorum negaverit temerè; An verò & subditi cogi & vicompelli à Majestate ad hoccè humeris subeundum onus possint, intricatior emersit quæstio, quam pro ingenii modo tractatūri Divinum Numen nostris ut allabatur cæptis de votè precamur.

§. I. Non erimus jam circa minutias Grammaticas occupati, nec de Synonymis, ut vocant, vocibus nimis solliciti, si quis.

quis his talibus capit, adeat eos, qui hanc de Legatis doctrinā ex instituto & operosis persecuti sunt, Carol: Paschal: & Freder: de Marselaer. Nec in legationum ortum earumq; primas origines inquisivisse refert, cum, quod difficile & fortè impossibile sit eosq; penetrare, tum, etiamsi quid in hac re exploratum esset, quod à proposito nostro id alienum foret; Omnia igitur alia, quam hæc, agenda erunt: Nec de necessitate Legati quicquā dicere animus est, cum quisq; de suō sensu facilè id intelligat, sed unicè de coactione Legati agendi locus erit. Cum enim Legationem obire & immensi laboris & multi magniū periculi officium sit, non raro accidit, ut, Viri, alias Reipubl: negotiis difficillimis deditissimi, illud humeris suis aut ægrius, aut planè nō imponi patientur. Interim cum & Reipubl. ratio, & præsens ac inevitabilis necessitas sæpius id postulet, ut cum externis, [seu amicis seu hostibus:] Principibus de rebus maximi momenti transigendum sit. ipsum verò Principem à Regno abesse & Caput rerum, ut Tiberius apud Tacit: (r.) loquitur, omittere, vid: Ger- r] L. I. c. 47° deß: (s.) nec tutum, nec decorum, imò fortè etiam à dignitate p. m. 32. ejus remotum sit: [Huic enim major è longinquō reverentia,] (t.) s] in Tac. aliis, & spectatæ quidem dignitatis, & exploratæ fidei, & sin- Pol. Res. gularis prudentiæ Vir mittendus, qui Principis imaginem refe- Diff. 9. §. 82. renz ejusdem causam dignè peragat. vid: Reinh: Condit: Matth: 84. p. 65. f. Kirchn: Arum: (u) cum oculi quasi ac aures regnorum sint, ut t] Tib. ap. loquitur Gviciard: (x) Qvod si jam nemo in aula esset, qui sua Tac. l. I. c. 47. sponte at duum istiusmodi munus suscipere vellet, quæstio est; u] in spec. An Princeps potestatem habeat cogendi, an cogere possit? Fid. Pol. l. I.

§. II. Ex jam dictis nemo non intelligit præcisè de potesta- c. II. p. m.  
re cogendi Legatum quæstionem esse. Nolumus igitur hic at. 256. In Mi-  
tendere & multis disquirere an, ut cogatur quis, consultum sit nec nisi stat. de  
ne, an è re sit Reipubl: ac expeditat? Largimur sanè, e re Reipubl: Leg: 15. de  
sæpè numero haud videri, si nolenti hocce tædiosum onus Prin- de jure pub.  
ceps imposuerit, invitit, quod dicitur, canibus venabitur, nec vol. 1. disp.  
felicem facile res sortietur eventum: Quamvis non nesciamus 14. th. 15. seq.  
Philipp: II. Hisp: Regis sententiam fuisse peiores non esse Consilia- x.] L. 15.  
rios, qui ad Consilium inviti veniunt, cui tamen justa per solvit Hist. p. 430.  
Doctiss: Fred: de Marselaer (y.) ob perfidie, ait, periculum ejus ope- y.] in Leg.

*rauti nolim, qui cogi debet. Etenim, quia invitus, etiam frigide  
ac remissè facturus est quæ faciet, timendus quoq; si ardua & pericu-  
losa negotia sunt. Fieri enim potest, ut qui invidus, infidus fiat;  
aut certè negotii finem magis spectet, quam fructum. Non cogat  
igitur Princeps, nec recusat Legatus. Est verò nobis de jure con-  
troversia, an tanta competit eidem potestas, ut cogere vel invi-  
tum queat? Qvod nos equidem putamus, afferentes, in arbitrio  
& voluntate suscipientis situm non esse, velit subire hoc officii  
nec ne? Qvod si enim rectè ad quemvis alium honoris gradum &  
volentem & nolentem, si dignus fuèrit, adsumi posse Philoso-  
phus concedat, (z.) quidni & invito Legatio, utut arduum  
munus demandari à Principe posse statueremus? Fuisse hoc quoq;  
*Marciani* responsum & *Venetos* eodem jure ac more uti, laudatus  
modò Mars: adnotavit l. c. cogi posse Legatum, si legitimam ex-  
cusationem non habeat, si item malevolè Patriæ operam subdu-  
cere velit.*

§. III. Atq; in hoc, quantum ego quidem scio, omnes a-  
micè conspirant, saltem illi, qui quid Princeps, & quam ampla  
ejus sit potestas, per spectrum habent. Verè enim imperativa hæc  
est, quæ quodvis, quod ab honesto ac justo non remotum, impe-  
rare, & nisi morem gesseris ad ea compellere potis est. Sicut  
enim anima format & impellit omnia membra ut pro ipsius ar-  
bitrio quodvis officium faciat suum: Ita Princeps, qui Civitati  
vel Reipubl: quod anima corpori, est, ad arbitrium subditis impe-  
rare, & vi recusantes adigere potest ad quævis, ut dicere cœpi, ho-  
nesta & justa: & sicut Deus hujus universi Moderator omnibus o-  
mnia pro liberrima sua voluntate & absolutissima potestate in-  
jungere, & contra euntem in ordinem redigere potest, ita Prin-  
cipi, quem, si ita loqui fas est, *Pro Deum* constituit concessit  
seu potestatem omnia statuendi, cuius vigore refractari-  
os vi compelcere valet.

*Terrarum Dominis Christus dedit OMNIA posse.  
Ille est Omnipotens, Hic Omnipotentis Imago.*

aa] in Laud. Ut non malè Coripp: Afric: (aa.) si omnia posse dedit, dedit etiam  
Just. L. 2. potestatem cogendi ad Legationem. Et sic aperiuissim generalem  
fontem,

fontem, ad causam proximam assignandam nos urgere videtur  
tacita Lectoris expectatio.

§. IV. Fluit autem prono cursu Potestas cogendi Legatum  
*ex illa*, quam *in caput* personae Princeps habet, *Potestate*; Hujus  
enim vigore Princeps potest subditis, quæcunq; cum jure Divino  
naturali atq; Gentium non pugnant, imperare, & præfracte ne-  
gantem obsequia, modo, quo placet, durissimo coercere, in d  
pro re natâ & delicti ratione ultimo suppicio afficere; nec ho-  
minum quisquam impedire valet eum, qui summum, ut Princeps,  
Imperium habet, quo minus & *exilio*, & bonorum publicatione,  
in morte ad quævis officia cogere possit, id quod ex summo  
Philosopho (bb.) sine operosa arguendi figurâ colligo. Non ergo bb.] L. 4.  
hic poterit effugere obsequium, subditus, si vel ad truculentissi- Pol. 14  
mam eundem sit nationem, Conring: (cc.) tam diu parendum sanè cc.] de Leg.  
Majestati erit, quam diu viræ retinendæ super stat spes, atq; evita- th. 31.  
bile periculum videtur. Nam sicut in præsentissimum vitæ peri-  
culum, quodq; evitari haut ulla ratione potest subditum inson-  
tem mittere, & ferocieni hosti in vindictam tradere, ipsi socie-  
tatis Civilis obligationi tacitæ, quæ ad mutuam sui defensionem  
omnes in eâ viventes devincit, directe pugnaret. vid. *Magnif.* dd.] in Grot.  
*Zieg.* & *Vasq.* (dd.) sic sane eadem svadet, ut maximo quamquam  
periculo, dum illud superari tamen queat, *Civis* objiciat caput, L. 2.c.25.n.3.  
quo suæ Reipubl: promoteat utilitatem; *Hinc* & *jure Romano* p. 509. Illust.  
publica hujusmodi officia deprecari nemo potest, eodemq; ad contr. l.i.c.3.  
Legati obtundum munit tanquam Personale cogi posse subditum  
patescit, cuius tamen jam expilare scrutinia non lubet, vid. in-  
terim Arum. Melch. Junius (ee.) quam obligationem Principis ee.] de jur.  
jussus reddit longe efficaciorum. Legi enim Principis ar- pub. disp. 14.  
bitrium haut est absimile, vid. Just (ff.) Lex autem juxta Philo- §. 5. part. 1.  
sophum (gg.) est oratio vim cogendi habens; mandato itaq; Princi- qvæst. pol. qv.  
pis eadem vis coactiva insit oportet. 8. p.m. 82.  
ff.] l.i.c. 1.  
gg.] 10. Eth.  
c. ult.  
hh.] L. 3.  
c. 8.

§. V. At verò sit sanè dixeris habeat hanc cogendi pote-  
statem, ea tum demum locum inveniet, quando subditus ex la-  
borum fuga, itineris longi aut intricati tædio, auri sacra famæ,  
aut muliebri desidendi domi studio Legationem ad Gentem &  
morum elegantia, & animi moderatione commendatam, &  
ad Regem, ut Darius à Curt: (hh.) laudatur *janum ac mitem*,  
suscipere



*suscipere recusaveris : aliter longè decernendum , cum ad fero-*  
**li.] l. i.c. 13.** *cem minus moratam [ quales Galli Senones à Floro (ii.) vocan-*

*tur ] & inimicis audaciæ gentem , ad prædones aut Latrones abe-*  
*undum fuerit . Sed tamen & ad hujus generis homines etiam*  
*Legatos mitti posse asserere non dubitat Doctiss. Carol. Paschal.*  
**kk.] in Leg.** *(kk) idq; putamus rectissimè [ quanquam incommodius nonni-*  
**c. 12 p. 48.** *hil loqvatur , quando mittendos ad Latrones Legatorum Nomine*  
*dignatur , qui potius Deputati , vel alio nomine insigniendi erant ,*  
*cum notum sit , jus mittendorum Legatorum tantum inter Majesta-*  
*tem & Majestatem obtinere ; qva tamen destitui Latrones certis-*

**ll.] disp. 14.** *simum est . vid. Arum. Grot. Ziegli. (ll.) Si Reipubl. intersit , &*  
**tb. 6. p. 328.** *Princeps velit . Neq; sat urgens excusatio esse potest , si qvis ob mo-*  
**L. 2.c. 18. tb.** *rum , qvibus cum agendum est difficultatem abire nolit : nimis*  
**2. p. m. 295.** *restricta potestas principis fuerit , si non , nisi ad faciles , moribus*  
**L. 3.c. 9. §. 10.** *decoris , & amabilibus in sermone homines cogendi jus haberet .*  
**p. 504. ad** *Nullus igitur ambigo asserere in medium Barbariam , ut abeat*  
**cup. 3. §. 1.** *cogi posse subditum , ubi*

**p. 533. & de** *Sauromata cingunt feragens , Bessig. Getæg. 3. mm.*  
**Jur. bell.** *horum enim metum præsumtio qvod populi ad qvos mittuntur*  
**disp. §. 21.** *observaturi Jus Gentium essent , infringere poterit .*

**mm.] Ovid.** **§. VI.** *Quid verò si inimica non solum gens , qvæ ob ho-*  
**L. 3. Trist.** *stilem animum formidabilis , sed & ferina fuerit , qvæ medium*  
**el. 10.** *digitum ostendere , naso , qvod ajunt , adunco suspendere , &*  
*omni contumeliarum genere Legatos afficere , ferre , raptare ,*  
*atq; huc & illuc distrahere didicerit ? Ut huic dubio pondus acce-*  
*dat , audiamus hujus rei unum atq; alterum exemplum : Omni-*  
*bus ex Sacris notum est , qva ignominiâ ab Ammone , Ammoni-*  
*tarum Rege Davidis , Humanissimi , qvem Sol vedit , Regis Lega-*  
*ti fuerint affecti , medium cujusq; mentum nudatum est barba , in-*  
*credibilis insaniae argumentum accessit vestium , in circumcisio-*  
*nis ludibrium , usq; ad nates præciso . Nec minus atro , qvod dici-*  
*tur , carbone notanda propudiosa , qva Mithridates Manlium*  
*Acilium : Roman. Legatum excepit contumelia , quando Asino*  
*impositum ad omnium ludibrium per urbem circumvexit , teste Ap-*  
*piano . Zacharias & Theodorus Imper. Rom. ad Persas Legati*  
*vix melius habiti , hi enim totum trimestre nec qvicquam tritum*

in.



in Perside omni injuriæ & acerbitatis genere conflictati cum de-  
niq; dimissi essent , ac per longiora ducti diverticula paululum cum  
processissent , postridiè per eadem reverticula per quæ iverant reducti  
ac pluribus ludibriis affecti deniq; è Perside ejecti sunt. vid. Me- nn.] Ecl.  
nand. [nn.] Eandem fortunam expertus est L. Posthumius à Ro- Legat. 145.  
manis Tarentum missus , hunc Cives Tarentini fœde conspurca-  
runt , addidere risum , ut voces tanquam maculæ essent ; nec me-  
liori loco fuerunt illi qui derisi , sordibus lapidibusq; à variis petiti  
fuerunt , de quibus Carol. Paschal. [oo.] Cum autem Genero-  
so animo nihil tam grave , tam intolerabile , quam contumelia  
& ludibrium esse queat , dubium esset , an ad talem gentem ut  
quis eat superior vis cogere possit ? Equidem ejusmodi barba-  
rorum hominum genus vix nomine , ne dum commercio homi-  
num dignum videri posset , cum Legationi vim facere sit totius  
humani generis hostem se profiteri ; Hominum enim inter se  
commercium mutui boni & beneficii causa extra injuriam o-  
mnes ponunt , sed Legatio commerciorum , ut ita dicam , com-  
merciū est , apud omnes , & veluti quodam consensu omnium  
sanctum & inviolabile , quod Iasum severissimè vindicanum ;  
igitur non sit verosimile , gentem aliquam Legatos ad se missos  
ludibrio exposituram esse , cum perjuris Deus & homines sint  
infensisimi , ut inclutum Spartæ Decus Agesilaus apud Corn. Nep.  
eleganter non minus quam verè judicavit . ; iusjurandum serva-  
bat , multumq; in eo se conseqvi dicebat , quod Tisaphernes perjurio  
suo & homines suis rebus ab alienaret : & Deos sibi iratos redderet :  
Hac spe fretus & Princeps mittit , non missurus forte si certò sciret  
Oratorem suum indignis modis habitum iri , & recusante subdi-  
to ad munus cogere posse , non dubitamus afferere .

§. VII. Sed si is , ad quem mittendus Legatus , inimicus , si  
hostis sit ? si non satis tutum per effrenatarum Gentium arma , (ut  
Hannibal Saguntum obsidens , ad Roman. Legatos locutus est  
apud Liv. ) adire ? an & tum cogi potest subditus à Principe , ut  
hoc muneris suscipiat ? Quidni . Quamvis enim ob veneratio-  
nis & auctoritatis conservationem ad hostes non facile mit-  
tendus sit Legatus , ut monet Fred. de Marsel. [pp.] interim sa-  
penumero rerum agendarum tanta instat & urget necessitas ,  
B qvæ pp. ] L. 2. de  
Leg. diss. 19.  
p. 406.

quæ in melius sua mutari exoptat, ut ad hostes truculentissimos  
mitti oporteat Legatum, qui prudenti consilio rem peragat po-  
tius, quam ut vi armorum inter posita cum discrimine & multo-  
rum periculo negotium conficiatur: Neque enim nugatoris Co-  
mici, sed potentissimorum quoque; Principum vox est: omnia prius  
experiri, quam armis sapientem decet. Sic enim gloriatur Tibe-  
rius ad Germanicum scribens, se novies à Divo Augusto in Germa-  
niam missum plura consilio, quam vi perfecisse: Nimurum, allega-  
tione saepius & incolumentas, & Auctoritas Regni ceu à fonte pro-  
fluit atque dependet. Si itaque nolit subditus sua sponte suam  
Reipub. conferre operam cogi ad officium posse nullum est du-  
biu[m], etiamsi ad hostem sit contendendum. Sit non satis quan-  
doque; tutum per arma adire, tamen sciat, *Nomen Legati* ( dicam  
verbis omnium disertissimi Oratoris ex II. Verr: ) ejusmodi esse  
debere quod non modo inter sociorum jura, sed etiam inter hostium  
tela incolume versetur. Omnium enim populorum unanimi

qq] L. 2. c. 18. consensu Legatorum Capita  $\ddot{\alpha}\tau\iota\lambda\alpha$  sunt, atque inviolabilia.

n. 3. p. 295. Nequequam ergo Grotio assurgimus, Qvi [qq] Atheniensium ap-  
probare conatur factum, qui, referente Thucid. L. 2. Legatum  
Lacedæmoniorum Melisippum, Auctore Pericle, extra fines A-  
gri Attici dimiserunt, quod ab hoste armato veniret. Qvod si  
enim hi admittendi non essent, qua ratione bellorum componi  
tempestates possent? quomodo amabili pacis vinculo coalescere  
rursus irritati semel animi valerent? Certè nec induciæ pangí po-  
terunt, nec ullæ conventiones firmari, nisi per Legatos & inter-  
pretes. vid. Magnif. Dn. D. Zieg. l. c. nisi fortè constet, *specula-  
tores* potius esse quam Legatos qui mittuntur, quos supplicio

rr.] Spec. de quam honore digniores rectè pronunciat. Reinh. Condit. [rr.]

fid. Pol. l. i. c.

u. n. 15 p. 254.

§. IIX. Sed cum Legati eorum, à quibus injuriam timere  
possimus, non raro *detineri* solent; id quod Historicorum, quæ  
memoriæ prodiderunt monumenta veterum æqvæ ac recentiorum  
commemorant. *Carthaginenses* certè Scipionis Legatos tan-  
tisper apud se servarunt, donec qui Romam missi fuerant, rediis-  
sent: *Themistoclis*, Viri prudentissimi consilio Athenenses Lace-  
dæmoniorum Legatos prius non dimisisse, quatu[m] ipse fuit remis-  
sus Auctor est Corn. Nepos. c. 7. Sed & idem de *Carolo V. G. M.*

Francisci

Francisci Galliarum Regis & Francisco Caroli Legatos detinentibus nos præterlapsi seculi Annales erudiunt. *Valentinus* cum aliis Legatis Romanis detentus à Turxantho est ; Et Abarum Dux Bajanus habuit in vinculis Comitem Legatum , & Vitalianum interpretem, ut apud Paschalium [ss.] ex Historiâ relatum legimus. Perses quoq; ultimus Rex Maced. ab Æmilio Consule tandem victus & triumphatus Legatos Rom. ad se missos corripuit ac vinxit ; Ipse Cæsar (referente quem mox allegabimus Zevet.) Germanorum pacem & agros rogantium Legatos detinuit, ut imparatos, nec tale quid opinantes, opprimeret : quod etiam, post eum fecit Basilius Moschus Livoniæ Legatos tum diu apud se detinens, tum per loca remotiora duci curans, ut hostes offenderet imparatos. [tt.] Qvaritur non immerito, num à Princeps qvis ad Legationem ubi detentio probabiliter metuenda vel platius] obs. in nè certa est, vi adigi queat ? Omnino abeundi celeritas incumbit Flor. p. 57. subdito, si Princeps jussit, nihil enim huc usq; contra honestatem jubet, ut supra jam monitum est, Principi competere potestatem in Caput subditi, cuius vigore injungere possit ei, quæcunq; non illicita, & refractarium ac negantem obseqvia duriori modo coercere, & pro qualitate ac conditione delicti ultimo supplicio afficere. Notissimus est Turci Tyrannicus mos, quod nullis de causis obtorto sæpe collo in foedissimos carceres detrudantur Legati ; nec tamen Reip. commodum huic incommodo postponendum : Exemplo prætit *Illustris Baro de Gois*, qui, cum invictissimus Imperator noster Leopoldus cum Mahumede IV. Turcarum Imperatore bellum gereret, & de mittendo Legato disqviretur, primùm verò nemo esset, qui præsentissimo *detentionis* periculo sese objicere vellet, Cæsar tandem sua se Majestate & Auctoritate ex Aulicis suis quem coacturum indicaret, sponte sese obtulit, qui postmodum Turcica custodia per longum temporis spacium asservatus fuit. Sane nisi Princeps potestatem cogendi haberet, Cæsar nullis comminationibus aliquid efficere potuisse.

§.IX. Major longè ac intricatior difficultas sese hic exerit, ubi cavendum serio, ne aut arctis nimium cancellis potestatem Principis constringamus ; nec subditorum obedientiam

servitio magis quam obsequio aptemus : Quid enim si Prin-  
ceps , cuius subditus sum, ad eos me mittere velit, quorum ipse an-  
tea Legatos nefarie violavit , an parere tenebor meq; in truculenti  
Regis nil nisi atrocissimam vindictam meditantis manus tanquam  
piacularem victimam tradam ? Vix poterit componi accurate  
haec controversia, nisi illa prius enodata fuerit quaestio : An Talio-  
nis jure interfici , aut male tractari possit Legatus ab eo veniens , qui  
tale quid patravit? feliciter hac in re praeivit Grotius , cuius hic  
adscribere verba non pigrabimur : Ius Gentium , inquit , non tan-  
tum mittentis cavit Dignitati , sed & ejus , qui mittitur securitati.

uu. ] L. 2. c. Quare cum hoc quoque tacere contrahitur Huic ergo fit injuria, et  
18.n.7.p.299. iamsie i, qui misit , nulla fiat. [uu.] Quid & Talionem locum obti-  
xx. ] l. 5. c. 27. nere in hocce casu prorsus negamus ; Est scilicet Talio . ut Isidor.

[xx] finit ; similitudo vindictæ ut taliter patiatur quis ut fecit ; quod  
hoc in casu affirmari nequaquam poterit , quâ enim noxa se con-  
taminavit Legatus ? Qui quanquam Principis Personam referat ,  
publicam tamen refert non privatam , non conspurcatam vitiis nec  
potest fieri ex peccato alieno , cum talio caput noxae præcisè sequar-  
yy] l. 2. c. 8. tur. add. Horn. [yy.] Quid , quod & tacitus ille , ut Grotius vo-  
n. II. p. 400. cat ; de securitate contractus fidem ejus , ad quem mittitur Lega-  
tus , obliget , quæ tamen & hostibus & fidei violatoribus data ser-  
vanda omnino est . Ex positis his non difficilè adeò erit propo-  
sitam controversiam definire , militat etenim & hic præsumtio  
pro offenso , quod juris potius Gentium immunitatem Legato  
concessurus , quam suæ libidini improbè auscultaturus sit . Ergo  
non poterit subditus obsequium hinc Principi subtrahere . Non  
quod probamus eorum ausum , qui eò adstringere obsequium  
parentium allaborant , ut vel certissimam subeant mortem , cuius  
evitandæ spes nulla supersit : Impium ac detestandum putamus

zz. ] Theol. eorum factum , ut inferius dicemus . vid. interim P. Layman . (zz.)  
Moral.

§. X. Major adhuc exsurgit difficultas . Proditum est Le-  
tract. 3. p. 3. gatos ab iis , ad quos missi sunt , veneno saepius nonnunquam  
c. 1. ferro , imperfectos . Persæ sanè (aaa.) negarunt expedire sibi a-

aaa. ] Me- micitiam cum Turcis contrahere exprobrantes illis , quod Lega-  
nand. Ecl. le- tos quosdam veneno absumperint : Romanos in Mithridatem ac-  
gat. 86. cendit indigna Legati Consularis cædes : Nec minus in ipsâ lu-  
dorum



dorum frequentia trucidati leguntur Legati apud Florum [bbb.] bbb] Lib. 3.  
Clariss. Carol. Paschal: ex Appiano refert Legatos Romanos, qui c. 18.  
caducea ferebant inviolabili veste circum amictos , frustatim  
concisos à Gallis, eaq; frusta per campos disseminata... Nota  
qvoq; Domitiani crudelitas , qvam contra jus Gentium, ac hacte-  
nus intemeratam Romanorum fidem , erga Qvadorum Legatos  
exercuit... Brundisinorum Legati ab Appulis interfecti perpe-  
tuam in Urbe sedem nacti sunt , ut Justinus habet... Sic Cicero  
inter reliqua crudelitatis facinora numerat grande nefas Pisonis,  
qvod Bessicæ gentis Principem , cum ille Legatus in castra venis-  
set , & magna præsidia ac auxilia à Bessis peditum eqvitumq; pol-  
liceretur , securi percusserit , neq; eum solùm sed & cæteros , qui  
simul venerant. [ccc.] Ipsâ morte major vis Legatis à Pantoleo-  
né Eleorum Tyranno illata qui ad se missos castrabat , & qvæ  
exempta erant , vorare cogebat. [ddd.] Qvis verò horrendam ac  
prope dixerim in auditam immanitatem Helenæ Russorum Regi-  
næ , vivos & valentes Legatos Prutenorum sepulchro condentis  
ea , qva deceret , ratione describeret , qvæ nec his satiata alios ad-  
huc qvinquaginta illustres & summos Viros cum Asseclis clam  
cremari jussit , post qvinq; millia pellexit , vinoq; sepultos imma-  
ni nec idedit , ut gravi facundia hoc scelus commemorat sèpius  
laudatus Fred: de Mars. (eee.) Qværitur ergò , an & tunc Princeps  
ubi periculum veneni , concisionis , crudelis interfectionis , sub-  
ditum cogere possit , ut Legationis munus in se suscipiat? Stamq  
adhuc ab affirmante. Qvod si enim jure belli potest subditum  
in medium belli discrimen transferre , ubi cohærentes co-  
minus pugnam conserere , arma armis pulsare , mu-  
crones in ora dirigere , conlato pede dimicare , & vincendo sibi  
locum facere coguntur , qvalem periculosam pugnam eleganti  
ornatoq; dicendi genere describit Curtius [fff.] qvo casu egregia. fff.] L. 3. c.  
qvidem , & pulcherrima , certa tamen morte concidunt , multi 2. Flor. L. 4.  
& eo ipso loco , qvo constiterant , vitam pugnantes amittunt. c. 1.  
[ggg.] Idq; sine ulla violatione Justitiæ , ut superius evictum est. ggg] Ariani  
Agnoscunt hoc optimi quiq; in Republ: qui in gruente bello , vo- l. 2. de Ga-  
tis , consilio , manu , omniq; conatu hostem à finibus arcent , & zens. Flor.  
ad commune incendium extingendum concurrunt : Frater de Catib.  
Regis Darii Oxathres , cum Alexandrum instare ei cerneret ,

eqvites , qvibus præterat ante ipsum currum Regis objecit , qvos  
hhh]. *Curt:* omnes Alexander , ut fulmen belli prostravit . (hhh.) Expressisse  
*l.3.c.ii.p. m.* Oxathres hic civis boni munus putandus est , qvod qvi refugit ut  
90. vi adigi possit ambigendum non est ; Qvare ergò dubitaremus de

Legato ? Si enim Imperium Principis in subditorum caput eò  
se extendat usq; , ut vel invitum queat cogere , ad suscipienda ar-  
ma , repugnantemq; ac nolentem in hostes ducere vid . Magnif:

iii.] *l. 2. c.* D. Ziegl. & Horn: (iii.) Qvidni & Legatum mittere posse nolen-  
2. & 16. p. m. tem , cum in bello in apertius longè periculum conjiciatur subdi-  
231. tus qvam Legatus , cum hic semper militet præsumptio hostes jus  
gentium esse observaturos , nec temerè laesuros eum , cujus secu-  
ritas & hominum præsidio munita & jure divino velata est , ut  
loquitur Cic: (kkk.) Stat itaq; nostra sententia , Legatum immi-  
nente gravissimo mortis periculo cogi posse .

kkk.] *Orat:* §. XI. Notanter dico PERICULO MORTIS : Aliàs  
30. de Ha- ubi omnino certa , & nullo modo , vi , arte , virtute nulla evita-  
rus p: resp: bilis mors expectanda , ibi non cogi posse subditum existimo ;  
n. 14. Vix ex alio principio Saul sibi temperasse videtur , qvo minus in-  
jungeret cuidam ex benè magno exercitu , ut cum im-  
mani Philisteorum monstro Goliatho manus consereret , suiq;  
copiam faceret hosti , qvia ipsa mors humanis viribus inevitabilis  
illum excepisset : Sit igitur cum periculo mortis conjuncta Lega-  
tio , ubi spes salutis ullo modo supereft , cogi ad eandem potest  
subditus , cum actio à Principe hæc instituta nec in divina nec  
humana impingat jura . Periculum certè non statim absumit  
eum , qvi periculo objicitur , & eò major evadendi spes Legatum  
alere potest , qvò pacatori animo venire eum certum & persua-  
sum omnibus est ; Qvæ enim alii cruento bello strictoq; ense vin-  
dicant , eadem Legatus solo consilio & prudentia sine sanguine  
expedit . Et hinc omnium fere gentium consensu inviolabilis  
esse putatur , adeò ut ne verbo qvidem duriori impunè laedatur .  
Romani ob superbius appellatos Legatos Corinthum totius Græ-  
ciæ lumen extinctam esse voluerunt , & jus Legationis verbo vio-  
III.] *Cic:* O- latum Bello persecuti sunt . (III.) Unde Herodes præclarè dixit :  
rat: pro Le. Quid fieri magis impium potest , qvam Legatos occidere pro æ-  
ge Manil: qvitate seu pace loquentes .

§. XII. Intendo



§. XII. Intendo nervum. Sæpè numero externæ seu  
versutiæ , seu perfidiæ domesticæ sagacitate occurren-  
dum, si commune qvoddam suscipiatur negotium , & obsides  
cautionis causa petuntur, ne in conditiones iniquas aut nocitu-  
ras Reip: cogamur descendere : qvod satis suo exemplo docuit  
Irene & Constantius, fidem ab Aarone Arabum Principe, bar-  
baram non expectatis obsidibus experti. v. Nobiliss. Marse.  
(mmm.) Cum vero nimis onerosum munus & onus sit , & peri- mmm. ] in  
culosa conditio obsidem agere , & fortè nemo non eandem de Legat: l. 2.  
precari malit , qvam sustinere , à Legitima vi, ut Obses ad perfi- dissert. 19. p.  
dum abeat, adigi posse perswasum omnibus est. Non possum 418.  
non Clariss. Hornii, qvæ in hanc rem faciunt verba conspicien-  
da sistere . (nnn.) Majestas etiam invitum hosti , seu populo, nnn. ] L. 2.  
cum quo intercessit fædus, Obsidem dare vi potestatis, qvæ in ca- C. 2. §. 17. p.  
put dirigitur , valet. Cogi potest, ut eat obses ; & si fefellerit 236.  
custodum soleritam , à civitate , ad qvam reddit , reddendus est.  
Si jam Princeps cogere potest civem ad id, qvod cum majori pe-  
riculo conjunctum est , nempè ut qvis obses tradatur , non vide-  
mus , qvì se excusare queat Legatus ab eo , qvod minoris est peri-  
culi , & qvi à Majestate cogi nequeat.

§. XIII. Atq; hæc hactenus differere , qvousq; Princeps Ci-  
vem ad Legati munus sustinendum cogere possit, voluimus. Jam  
qvo casu non possit, dispicere juvat : Damus mentem nostram  
brevi hâc assertione : Princeps non potest cogere civem aut  
subditum ad munus Legati suscipiendum , ubi in evitabilis &  
certissima mors manet Legatum : Declarationis causa ponamus  
Turcam , vel alium aliquem Tyrannum , ad quem publici negotii  
causa Legatus mittendus ex jussu Principis esset , sacro sese jura-  
mento obstrinxisse , se hujus Principis [ qvicunq; tandem is esset ]  
Oratorem adventantem , truculentissimo mortis genere subla-  
turum insuper habitis vel suorum consiliis vel Legati precibus.  
Hoc casu negamus subditum à Principe cogi posse jure, ut vitam  
hostibus prodat. Imo subditus , si sese quidem ultro ad istius-  
modi Legationem offerret , aut cogi se pateretur, nostro quidem  
judicio gravissimi criminis reum se faceret : Huic assertioni ut fi-  
dem conciliemus persuasione longâ non est forte opus : talis  
enim

enim vis cum Legibus iustitiae, omnium prudentum consensu, pugnat. Qvamvis enim Principi à DEo absoluta & infinita, ut sic dicam, potestas concessa sit in subditum, & subditus quibusvis mandatis superioris morem gerere & jussa capessere per conscientiam teneatur; Ad ea tamen, qvæ ex se, & sua natura moraliter mala sunt, & à justi rectiq; semita deflectunt, sese neutrīq; extendit. Ut Numen supremum, qvod sibi ipsi Lex & honesti norma, non potest hominem innocentē perdere, ita nec Majestas Dei vicaria in perniciem alicujus hominis nihil commitmentis consentire, nedum ut certo pereat, cogere potest.

ooo.] lib. I.  
de Off:

ppp.] L. I.  
de Offic:

qqq.] Cic:  
Off; L. I.

§. XIV. Juri Naturæ consentaneum est, ne quis innocens lœdatur, suum cuiq; tribuatur, etiamsi fuerit infimæ sortis homuncio, etiamsi servus, ut præclarè dictum sit à Cicer. (ooo.) meminerimus autem etiam adversus infimos iustitiam esse servandam: Est autem infima conditio & fortuna servorum. Qvod si adversus ejusmodi abjecti animi & sordidi ingenii hominem nihil iuscipiendum, qvod à iustitia remotum videri potest, (videatur autem cumprimis, si præsentissimæ neci nihil meritus daretur) qvantò minus is, qui & generis gloria & propria virtute omnium maximè floret, adeoq; decus Civium, alienæ libidini objici contra jus Naturæ poterit? Naturalis est sui ipsius conservatio, & destructio sui contra Naturam, ita enim eloquentiæ Princeps (ppp.) Generi animantium, scribit, omni est à natura tributum, ut se, vitam, corpusq; tueatur, declinetq; ea, qvæ nocitura videntur: Hunc naturalem impetum extingveret Princeps ad præsentissimam cædem offerens dite, qvale Legatis inesse debet, pectus. Cogita immoderata Tyranni desideria Legatum perdendi Principi perspecta esse, & certò explorata, annon eadem sui civis coactione suâ adjuvat? Annon proditiois imò parricidiireus erit? posset conservare & immani morte liberare, si non cogeret, E. ipse se participem facit criminis nefandi, qvando ut copiam sui hosti faciat, vi adigit. Duplex iustitiæ genus facit Cic: (qqq.) Unum eorū qui inferunt, alterum eorum, qui abiis, qvibus infertur, si possunt, non propulsant injuriam: Et postqvam de primo pauca qvædam more suo solidè dixerat, hæc de posteriori subjicit; Qui non defendit, nec obſtit, si potest, iuriæ

juriæ , tam est in vītio , qvam si Parentes , aut Patriam , aut socios deserat ; si is qvi deserit eum , qvem defendere & poterat & debbat , iñjustitiæ postulari potest , multò magis is , qvi non solum deserit , sed & impellit , ut eum , qvi non qvacunq; levi tantum injuria , sed truculentissimâ morte affecturus est , conveniat . Omnes itaq; cordati vident , iñjustissimam coactionem , uti certissima nulloq; modo evitabilis mors est , futuram esse .

§. XV. Barbarorum est existimare laudem Regiam in eo collocatam esse , si ad qvævis perpetranda & sustinenda subditos impellere & obstantem armis & vi tollere possint . Unde in Historicorum monumentis legimus , multis à Barbaris Principibus , ut se vel gladio in propria viscera converso enecarent , vel ex altissima turri vel rupi se præcipites darent , imperatum , & sine ulia tergiversatione promptissimè effectum esse : Sed qvis non toto animo detestetur , istiusmodi Tyrannidem ab unâ parte , ab alterâ vero inconsultam & cæcam obedientiam ? Omnem humanitatem istiusmodi ejurasse mihi planè persvasum est .

§. XVI. Hæc utut ita se habeant , non tamen nulla planè difficultate premi possunt . Possent enim obverti jus qvod Princi pi in vitam civis concessum esse certum est , communiter jus vitæ & necis vocari solitum , de qvo ap: Senec: (rrr.) Ego vitæ necisq; gentibus arbiter , qvalem qvisq; sortem statumq; habeat , in manu mea pøpositum est . Et in Thyeste : Vos qvibus Rector maris & terre , jus dedit magnum necis atq; vitæ . Cum Abdolomino Regnum ab Alexandro traderetur , si Curtio tutò creditur , dictum ipfi : Cum in Regali solio residebis vitæ necisq; omnium civium dominus . (sss.) Insigne hujus erat apud Imper. Rom: pugio & gladius , in inauguratione Princi pugio oblatus , qvo nomine commodus Imper. à militibus salutatus & circumlatus est per celeberrimos vicos , strictum D. Julii gladium tenens detractum d'ubro Mortis , atq; in primâ gratulatione porrectum sibi à qvodam . Qvodsi ergò jus vitæ & necis jure sibi Princeps arrogat , certe haud obscure & eidem ex eo fluens videtur jus attribuendum , cogendi etiam ad Legationem , in qvâ præsentissima mors expectanda est . Et sanè ad qvid jure jurando subditus sese adstringit se vitam & sanguinem & omnem fortunarum suarum substanti-

rrr. ] I. de  
Clement:

sss. ] Curt.  
L. IV. C. L.

ttt L. 3. de  
Jure Mariti:  
c. 9.

an Reipub: usibus & Prncipis imperio consecratum? Sed & illud qvempiam movere posset, qvod Princeps civem ad bellum cogere, in periculoso loco, ubi pugnacissimi hostium occupati sunt, & fortissimè pugnantes conficiunt, statuere, sine iustitiæ nota, possit: Non igitur limites honesti justiq; excesse fit, si ubi idem metuendum civem ad Legationem periculosam coegerit: De similibus enim idem judicium. Multis verò videntur simile, Imperatorem bellicum in pugnâ navali constitutum, ubi ad extrema fuerit peruentum, & periculum imminet, ut cum omnibus munimentis & tormentis bellicis in hostium potestatem veniar, ex qvorum arbitrio deindè vivendum sit, posse se re probè deliberatâ & expensâ, in casu captivitatis inevitabilis, cum omni armatura, militibus & navibus pulvere tormentario perdere. Non infreqvens hoc est Batavis, qui puerum conductum ad pulverem tormentarium statuunt, qui urgente necessitate pulverem accenderet, qvod phrasî nautica vocant den rooden Haen in h: t cruyt stecken. Horum exemplum secuti sunt Hispani Anno 1621. Archithalassus Jan Michielse ne expugnaretur per foratam navim profundo mersit, ipsi natando sibi consuluit, reliqvas naves accenso pulvere pyro maluit perdere, qvam se hostium fidei committere. Imitatus est hanc fortitudinem [sic nomine virtutum vitia obteguntur] qvidam Svecorum teste Loccen. (ttt.) qui, ne in Dantiscanorum manus perveniret, navim incendit. Si hoc, nec inconveniens erit unum aliquem civem, publicæ rei necessitate ita exigente, periculofo isti muneri præficere.

§. XVII. Atq; hæc ita objici possunt nostræ sententiæ, qvæ nos tamen facile, ut spero, expediemus. Jus vitæ & necis Principi denegare nullo modo possumus, seqvelam verò existimamus esse omnino nullam. Princeps habet jus vitæ & necis, ergo potest civem cogere ut certissimæ sese objiciat morti. Perinde enim colligas: Princeps habet jus armorum; Ergo sine ullo discrimine illud usurpare potest in vicinum tranquillitatis studiosissimum; Habet jus vitæ & necis, Ergo qvemvis pro libitu sine causa neci destinare potest? Nemo, nisi qui ex quo fine fas & nefas discernere didicit, has seqvelas admittet. Probè itaq; notandum

notandum est, jus uitæ & necis [sicut & omnia alia jura, belli, armorum] concessum quidem esse Principi, non tamen ad scele-  
ra, quale sine dubio ingens est & morte piandum, si quis civium  
præsentissimæ morti offeratur cum servari tamen possit. Non  
incommode jus vitæ & necis ab exercitio istius juris distinxeris,  
vel actum, si Philosophicè animi sensa promere velimus, primū  
ab actu secundo. Jus semper & ubiq; Principi competit, exer-  
citium non nisi in loco. Res, ni fallor, clara jam est ex supra  
datis instantiis ab armorum jure, quod Principi semper & ubiq;  
concessum est, exercitium verò non, nisi ubi per justitiam expe-  
diri arma queunt. Formula jurisjurandi, quam secundo loco  
attulimus, nihil aliud evincit, quam civem velle & debere pa-  
ratisimum ac promptum esse vitæ & sanguinis jacturam facere,  
si Princeps id justè voluerit, in præsenti verò, de quod ser-  
mo nobis est, casu justitiæ non habetur ratio. Distingendum  
adeoq; existimamus inter juramentum de vitâ prodiganda *absolu-*  
*tum & ordinatum*. Major vera est de juramento *absoluto*, nul-  
lis, ne honestis quidem, conditionibus adstricto. Sed minor  
esset falsa, Civis enim non jurat absolute, ut planum est: De Or-  
dinato verò juramento si major concipiatur hoc sensu, qui vi-  
tam & sanguinem Principis Imperio consecravit, quo usq; intra  
limites justitiæ & honestatis substiterit, ille tenetur ad Legationem  
subeundam, quando certissima & inevitabilis mors expectanda,  
falsa est. Tertium verò totum à nobis conceditur: Sicut enim  
civis ad periculosissimum bellum cogi potest & in fronte collo-  
cari, v.g. David strenuum Bellatorem Uriam sine nota ibi, ubi  
pugnatum acertrimè fuit, statuere potuisset, modo sanguinarium  
Consilium non agitassem animo, Ita quoq; ad Legationem cum  
periculo conjunctam cogi civem à Principe posse non dubitamus  
amplius. Audiamus dissertissimum Horn: (uuu.) *Potest quidem*  
*Imperans subditi caput periculis objicere, sed bellatorem victoriae uuu.] L. 2.*  
*spes educit militem, non perdendi consilium.* Parodia est facilis.  
Illud verò quod ultimo obvetebatur, Imperatorem Bellicum  
posse se cum navibus pulvere pyrio perdere, si periculum sit per-  
veniendi in manus hostium: Nos cridele existimamus facinus, si  
id patraverit miles, nulli enim mortalium tantum à Divinâ Ma-  
jestate



festate datum est imperium, ut sibi ipsi violentas manus inferat ;  
xxx.] 5. Eth. Possunt huc pertinere quæ apud Philosophum (xxx.) leguntur :  
c. II. *Ea justa habenda sunt, quæ in omni virtute lege sunt constituta, ut non jubet lex mortem sibi quemquam conciscere.* Sed nec exempla urgent, incertum est, an milites navales ab Ordinibus Generalibus unquam mandatum acceperint, in dato casu incendi naves, privato igitur scelere se obstringunt, qui id agunt; Quid autem sit de publicâ auctoritate, neminem hominum, Imperatorum, Regum, Principum posse *autoxepia* imperare innocentem per se manifestum esse debet ex VI. præcepto : NON OC-  
CIDES. Contra naturam est, propriam carnem suam odio prosequi. Stoicis *autoxepia* probatur, sapientibus haud item. *Magnus Gustavus Adolphus, Gloriosissimæ Memoriae Rex sui Ducis* facinus non probavit admodum, quod ex eodem *Loccenio* constat: *Erga me, dixit, & regnum masculè & fideliter, erga seipsum sceleratè fecit.*

yyy. ] Lib. §. XVIII. Duo restant, quæ videntur adhuc urgeri posse;  
2. de jure B. Alterum est, quod Princeps habeat potestatem Civem innocen-  
& P. c. xxv. tem petitum ab hoste tradendi: agit hoc de negotio Grotius (yyy)  
zzz. ] Lib. 1. *Sic civis, scribens, unus quamvis innocens ad exitium ab hoste depo-  
scatur, dubium non est, quin deseriri possit, si appareat civitatem ho-  
stium viribus multò esse imparem:* Hæc ibi Grotius; Quæ senten-  
tia si vera est, non video causam, quæ prohibere possit, quo mi-  
nus idem civis ad Legationem, ubi mors certa imminet, à Prin-  
cipe cogatur; Alterum charitatem in Patriam obligare posse, ut  
salute neglectâ propriâ, eidem consulamus, omnium enim socie-  
tatum [explicabo dubitationem verbis Cic: (zzz.)] nulla est gravior,  
quam ea, quæ cum Repub. est unicuique nostrum; Cari sunt Parentes,  
cari Liberi, Propinqvi, Familiares, sed omnes omnium charitates  
Patria una complexa est, pro qua, quis bonus dubitet mortem opper-  
tere, si sit ei profuturus. Quamvis itaq; ex lege justitiae Civis non  
sit obligatus, tamen ex officio charitatis obstrictus videri posset,  
ut ad Legationem se accommodet, etiamsi presentissima mors  
eundem sit exceptura. Ast facile hæc dubia in conflictu data oc-  
casione solvemus. Paginæ angustia responsa excludit. Hæc itaq;  
sufficient pro instituti ratione. Veniam ab ætate & rerum harum  
gravitate, ut spero, apud æquos mihi facile concilio.

D. O. M. Sit Gloria.

\* (o) \*



05 A 27321

ULB Halle  
003 782 697

3



VD 77

25




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-554037-p0024-9

DFG

**FarbKarte #13**



Adjuvante Deo  
DISPUTATIONEM POLITICAM  
<sup>De</sup>  
POTESTATE PRINCIPIS  
COGENDI LEGATUM  
EUNDI AD HOSTES QVOSVIS  
In Alma Leucorea  
PRÆSIDE  
VIRO  
*Præcellentissimo atq; Præclarissimo*  
**DN. M. JACOBO RÖSERO,**  
Collegii Philosoph. Adjuncto, & ad Illustrium Sta-  
tuum Evangelic. in Hungaria Gymnasium Eperiense  
vocato Profess. Publ.  
*Domino ac Fautore suo maximè colendo*  
*publico Eruditorum Examini sifit*  
**JOHANNES HÜLSEMANNUS**  
Lipsiensis.  
Ad. d. 19. Decemb. horis antemerid.  
in Auditor. Maj.  
\*\*\*\*\*  
*WITTEBERGÆ,*  
In Officina Finceliana excudebat MICHAEL MEYER.  
Anno 1668.